

quæ in illo nunc est suprema, esse peccatum originale, et inclinare ad malum, quod est contra Paulum, ad Romanos 7, et ad Galatas 3, ait ubi mentem et rationem velle id quod est bonum. Septimus error, sequitur Verbum divinum vel assumpsisse formam illam substantialem, quæ est originale peccatum, quod est hæreticum, vel non assumpsisse naturam ejusdem speciei substantialis cum nostra, quod est etiam hæreticum. Legatur Leo papa, in Epistola 41 ad Julianum. Octavus error, sequitur hominem beatum substantia et essentia differre a viatore, quia non manent in illo ea forma, quæ est peccatum originale.

5. *Eadem opinio militat contra rationem naturalem.* — In ratione etiam naturali dicit impossibilia hæc sententia: nam quæro quid intelligat per hominem physicum: aut enim illud est compositum ex corpore, et anima rationali vera, aut non. Si primum, ille homo habet intellectum et voluntatem; ergo est ad imaginem Dei, nam hæc ratio imaginis in intellectu et voluntate fundatur, ut docent Augustinus, Basilius et alii, qui etiam tanquam hæresim damnant imaginem Dei in homine posse deleri per peccatum, licet fuerit denigrata. Præterea talis homo est capax gratiæ, nam propter rationalem animam ut sic, est capax, juxta illud Augustini: *Posse habere gratiam naturæ est hominum*: unde tandem ille homo habebit propensionem ad id quod est honestum, et libertatem, et cætera, quæ isti hæretici negant: si vero dicant hominem illum physicum non esse rationalem, ipsi tanquam irrationales sunt omittendi.

6. *Ad fundamentum in num. 3.* — *Ad confirmandum ibid.* — Ad fundamentum expugnati erroris respondetur, omnia illa loca metaphoram continere, nam *cor hominis* dicitur *prævarium*, non quia substantia ejus mala sit, alias cum dicitur *lapideum*, haberet lapideam substantiam; sed propter pravas cogitationes et fomitem ex Augustino 1, contra duas Epistolas Pelagian., cap. 13, et idem est de aliis: quod vero, ad Romanos 6, dicitur, *corpus peccati*, ideo dicitur, quia vel est peccato subditum: vel quia est instrumentum peccati, vel verius propter defectus, quos ex peccato contraxit. Ad confirmationem respondetur, id quod est prohibitum lege, et illi contrarium, esse peccatum, tamen naturalem substantiam non esse prohibitam lege, neque omne id, quod inclinatur ad operandum contra legem esse peccatum, licet interdum sit aliqua occasio peccati.

7. *Tertia opinio Lutheranorum.* — *Quorundam catholicorum placitum.* — Tertia sententia est communis Lutheranorum, qui videntur putare peccatum originale esse concupiscentiæ fomitem, et totam eam inordinationem potentiarum, quam in nobis experimur: dicunt enim hoc peccatum esse tenebras in intellectu, aversionem in voluntate, contumaciam in corde, et vitiorum omnium originem, quæ opinio in sensu quo ab ipsis asseritur, est hæretica: ad eam nonnihil accedit quorundam scholasticorum sententia dicentium peccatum originale esse concupiscentiam ipsam, quam videtur tenere Magister, secunda, distinctione trigesima. Sed in sequentibus partim hoc explicabimus, partim impugnabimus.

8. *Tertia propositio contra proximam opinionem.* — Sic ergo tertia propositio. Id quod vere et formaliter est originale peccatum, non consistit in concupiscentia, neque in aliquo defectu potentiarum hominis, qui veluti naturalis sit, et in homine in puris naturalibus creato reperiri posset, vel esse in homine jam justificato. Hæc est contra sensum Lutheranorum, ac probanda est ex illo principio, peccatum originale esse id quod per Baptismum auferatur, neque manet in renatis, ut Concilium Tridentinum, sessione 5, definit, et patet ex illo ad Titum 2, *mundaret sibi populum acceptabilem*, et ad Romanos 5: *Sicut per unum hominem*; et infra: *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*, ex quibus habetur gratiam Christi esse directe contrariam peccato contracto ex Adamo: quod etiam habet, c. 8, quod incipit: *Nihil ergo est damnationis his, qui sunt in Christo*; et cap. 6: *Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo*: et tandem, 1, Joannis, 1: *sanguis ejus emundat nos ab omni peccato*. Confirmatur, nam in renatis nihil est, quod impediatur introitum in regnum cælorum, nisi id propter quod tollendum Baptismus institutus est: hoc autem est originale peccatum; ergo tale peccatum nihil est aliud, quam vera animi culpa. Major patet Joannis 3, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc., Marc. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, id est, si ipse aliud impedimentum non apponat, ex Augustino, in Enchiridio, cap. 66 et 67, et lib. 21, de Civitate, cap. 16, atque aliis in locis id confirmat, qui etiam videri potest, lib. 1, contra duas Epistolas Pelag., capite decimo-tertio, ubi radicatus auferri dicit peccatum originale, non radi per Baptismum, et Chrysostomo, homil. 40, ad Corinthios, et

homil. ad Neophytos, et epistola ad Ctesiphontem, et Nazianzeno, oratione de Baptismo, et Epiphano, hæresi 37 et 66.

9. *Probat jam tertia propositio.* — Ex hoc ergo fundamento colligitur primo concupiscentiam non ut significat actum, sed ut significat appetitum sensitivum, quatenus proclivis est ad sensibilia, et potest contra rationem moveri, peccatum non esse atque adeo, nec originale. Confirmatur, quia hæc concupiscentia non est defectus voluntarius contra legem, neque avertit hominem a Deo. Antecedens patet, quia nulla est lex, qua teneamur non habere istam concupiscentiam, vel habere justitiam originalem, ut supra diximus, de quo videri potest Epiphanius, contra quamdam antiquam hæresim, tomo 1, hæresi 64. Secundo, colligitur eadem ratione tota conclusio, quia omnis defectus potentiarum hominis est veluti naturalis: licet enim modo, ut infra dicemus, ex peccato originali derivetur, tamen per se etiam sequitur ex natura hominis, et esset in puris naturalibus: non ergo potest habere rationem peccati originalis, cum etiam ejusmodi defectus maneat in renatis: unde neque tenebræ intellectus, neque duritia cordis, etc., ad essentiam originalis peccati pertinere dicuntur, licet sint ejus pœnæ, ut dicemus, non tamen majores, aut graviore nunc, quam in puris naturalibus essent, prout infra exponemus.

10. *Objectio Lutheranorum.* — Sed objiciunt Lutherani, quia concupiscentia repugnat legi mentis; ergo est peccatum, ideo enim a Paulo appellatur *peccatum*, ad Romanos 7, et alibi; et Augustinus, libro 1, contra Julianum, initio, propter hanc concupiscentiam dicit renatos non omnino carere vitio, refertque multos Patres, et, libro 5, cap. 3, dicit concupiscentiam non tantum esse pœnam, sed etiam peccatum, et ideo non esse laudandam. Respondetur, hæc probant concupiscentiam esse defectum, et vitium quoddam naturæ, non ut vitium significat peccatum, sed ut importat imperfectionem quamdam. Neque refert, quod hæc concupiscentia moveat ad operandum contra legem, quia inde solum sequitur posse esse occasionem peccati; non vero ipsam esse formaliter peccatum, quia non est ipsa formaliter contra legem, cum non sit in se prohibita, et ita satis patet Augustini sensus in primo loco. In secundo vero, dico primo, loqui de concupiscentia, prout est in homine antequam sanetur per gratiam, quam ipse vult aliquo modo, id est, materialiter pertinere ad hoc peccatum, ut

patet etiam ex libro 1, de Nuptiis, cap. 6. Quod quomodo verum sit, infra dicemus. Secundo, dicitur Augustinum solum voluisse contra Julianum, concupiscentiam non esse laudandam, quia non solum est pœna, sed etiam inclinatur ad culpam: unde non potentiam ipsam, sed actum ab illa manantem vult esse peccatum, non originale, sed actuale, et accedente aliquo consensu voluntatis, ut ex toto contextu colligitur.

11. *Quarta opinio.* — Quarta sententia est quorundam, peccatum originale esse qualitatem quamdam naturæ corruptæ inhærentem: quam explicant dicentes ex Adami peccato factum esse, ut voluntas ejus fuerit infecta quadam qualitate inclinante ad creaturam, ex qua, inquiunt, redundavit ad corpus ejus aliqua qualitas morbida, quæ in ipsa generatione postea conjungitur semini, quod format corpus naturali qualitate infectum, quod fit, ut cum primum anima infunditur tali corpori, qualitas, quæ est in carne, efficiat in anima etiam illam pravam qualitatem, hancque dicunt esse peccatum originale essentialiter, quia ipsa est, quæ animam inclinatur ad creaturas, et avertit a Deo: prædictam vero qualitatem corporis dicunt esse peccatum originale causaliter, et quia etiam ex peccato parentis nascitur. Hæc sententia tribuitur Magistro, secundo, dist. 30, et 31, licet non satis eam explicet, ut potius videatur loqui de concupiscentia: defendit tamen illam Gregorius Ariminensis, ibi, sic intelligens Magistrum, et Henricus, quodlibeto secundo, quæstione undecima, et Driedo, libro secundo, de Gratia et libero Arbitrio, sub finem, et Michael Baius, de Peccato originis. Confirmant sententiam ex Augustino, libro 1, de Nuptiis, capite vigesimo-tertio, et 25, dicente concupiscentiam esse hoc peccatum, causam vero esse affectionem malæ qualitatis: et cap. 21, carnem hominis vocari carnem peccati, propter morbidum quemdam affectum: et 1, contra Julianum, capite 7, animam corpori infusam maculari tanquam a vase vitiatum, quæ sententia est improbabilis, ut melius ex dicendis patebit.

12. *Quarta propositio contra præcedentem opinionem.* — Sit ergo quarta propositio. Peccatum originale non est positiva qualitas ad data animæ, vel potentiis ejus. Est communis theologorum infra citandorum. Probat, quia ratio peccati, præcipue habitualis, non potest consistere in qualitate positiva, sed in defectu, ut supra ostensum est: peccatum autem originale est quoddam habituale; ergo. Confir-

matur, nam vel illa qualitas est peccatum ratione solius positivi, quod habet in homine: et hoc primo est contra rationem mali et peccati, ut supra ostendimus: deinde sequitur Deum efficere peccatum formaliter, nam efficit totam illam qualitatem: vel est peccatum ratione alicujus privationis adjunctæ, et hanc non explicant prædicti auctores: neque potest esse aliqua ad quam sit necessaria qualitas contraria. Secundo, totus ille modus, quo explicatur illa sententia, est commentitius, nam ex peccato Adæ solum potuit resultare in voluntate ejus aliquis habitus pravus, qui non est peccatum, ut ostendimus supra: ab illo autem habitu nihil derivatur ex natura rei ad corpus, nisi forte quis dicat, quod Gregorius indicat, qualitatem illam processisse ab habitu serpentis, quia auctor libri Hypogosticon, in 4, libri initio, dicit peccatum originale natum esse ex flatu serpentis: sed hoc est ridiculum, nam auctor loquitur metaphorice, et Dæmon per se nullam qualitatem potest efficere: per serpentem autem posset efficere qualitatem nocivam corpori, non animæ. Et eodem modo facile rejicitur, quod dicunt alii cibum vetitum effecisse illam qualitatem: nam si cibus aliquid efficeret, illud pertineret ad commodum vel incommodum corporis, non animæ, illudque potius esset salubre, ut colligitur ex Augustino, de Civitate, capite 12. Tertio, quidquid fuerit de Adamo, ille modus communicationis prædictæ qualitatis ad posterum est etiam impossibilis, quia illa qualitas aliquem effectum formalem habere debet, atque adeo determinatum subjectum: effectus autem in hac sententia erit proclivem facere animam ad vitia: quare subjectum ejus erunt potentiæ ipsæ; non ergo potest esse illa qualitas in semine subjective. Præterea esto in illo esset, non posset efficere qualitatem spiritualem in anima. Denique quidquid est in potentiis animæ, inclinans illas ad actus, habet rationem habitus, qui non potest esse peccatum, ut sæpe dixi: unde confirmatur ultimo, nam sequitur peccatum originale manere in renatis, siquidem in illis manet omnis qualitas positiva, quæ antea erat, et inclinatio ad objecta sensibilia.

13. *Ad suasionem ex Augustino, in num. 11.* — Nec testimonia ex Augustino urgent, quod enim ait concupiscentiam esse morbidum affectum vel affectionem pravæ qualitatis, non est intelligendum esse affectionem a prava qualitate provenientem, sed esse affectionem pravam ipsius appetitus, qui est quædam qua-

litas, et esse languorem ejus: qui tamen languor et affectio solum addunt appetitui privationem quamdam, ut infra magis exponemus.

14. *Quinta opinio.* — Quinta sententia est dicentium hoc peccatum non esse puram privationem, sed positivum aliquid cum privatione. Ita Cajetanus, 1, 2, q. 82, art. 1 et 3, qui illud positivum vocat qualitatem, vel habitum corruptum. Idem Capreolus, 2, dist. 3, et Ferrariensis, quarto, contra Gentes, c. 52, qui volunt positivum illud esse ipsam voluntatem, nimirum conversam ad bonum commutabile. Fundamentum eorum est obscura quædam verba D. Thomæ, illa q. 82, art. 1, ad 1, peccatum originale non esse privationem puram, sed includere habitum corruptum.

15. *Quinta propositio bipartita contra quintam opinionem.* — Sit tamen quinta propositio. Essentia originalis peccati in privatione aliqua vere et proprie in homine existente, et suo modo inhærente consistit, nihilque reale positivum includit, quod in homine inhæreat. Est communis theologorum, et prior pars satis patet ex dictis; ostensum est enim nihil pure positivum posse esse hoc peccatum essentialiter. Ultimam partem probo: nam si aliquid positivum includitur in essentia originalis peccati, illud certe est in anima, ut per se constat, et infra etiam patebit; ergo vel est ipsamet essentia animæ: et hoc non, quia illa est subjectum peccati, non peccatum, ac per se bona: vel est aliqua potentia ejus, et hoc propter easdem rationes, vel aliquid additum potentiis et essentiæ, quod etiam falsum est, nam rationes factæ contra quartam sententiam probant nullam qualitatem esse additam animæ, præter hoc peccatum, et licet addita esset, non posse pertinere ad essentiam peccati, neque ut est pars, neque ut totum.

16. *Evasio impugnatur.* — Dices illud positivum esse modum quemdam ipsius voluntatis, qui ab ipsa realiter non est distinctus, et consistit in quadam nimia propensione, et conversione voluntatis ad creaturas. Sed hoc est inintelligibile, quia talis propensio, quatenus est idem cum voluntate, est ipsa essentia ejus, quia est aliud nihil quam propensio ad bonum, quæ neque potest augeri, neque mutari in ipsa voluntate, quia voluntas ipsa est immutabilis entitas, et in se, neque recipit magis, neque minus: unde evidens est hominem creatum in puris naturalibus non aliam propensionem, neque alium modum habiturum in voluntate per se ipsam, quam habeat homo genitus ex Adamo: quia uterque homo habe-

ret essentiam, et potentias quæ in se inalterabiles sunt: et neuter haberet alias entitates. Confirmatur, nam conversio ad creaturas non habet rationem peccati præcipue originalis, nisi sit ad creaturam, ut ad ultimum finem: voluntas autem pueri non est isto modo conversa ad creaturam, nam potius est magis propensa ad Deum ultimum finem, quam ad omnem creaturam, sicut esset voluntas hominis in puris naturalibus: præterquam quod illa conversio non est physica, ut constat, neque etiam moralis, quia isto modo solum esset conversio actualis Adæ imputata puero, quod esse non potest, ut contra primam sententiam partim ostendimus, partim dicemus in sequentibus. Confirmatur præterea, quia ad delendum originale peccatum non est per se necessaria actualis conversio ipsius hominis ad Deum, cum voluntas ejus non fuerit conversa ad creaturam, ut ad ultimum finem, propterea enim, ut dicemus, peccato originali non tribuitur poena sensus. Tandem in Baptismo nihil positivum tollitur ab homine, et tamen totum illud tollitur, quod est de essentia peccati originalis: D. Thomas autem (ut ad illius obscura verba citata, n. 14, respondeamus) cum ait originale peccatum non esse solum privationem, non loquitur de ejus tantum essentia, quæ ab eodem, in art. 3, dicitur formale hujus peccati, poniturque in privatione: sed loquitur de inordinata dispositione partium animæ, quæ ex peccato originali nascitur, et vocatur ab ipso materiale hujus peccati, propter Augustinum, ac languor naturæ, et in hoc includitur aliquid positivum, prout exponemus agentes de effectibus hujus peccati, in sect. 5.

17. *Objectio.* — *Solutio.* — *Instantia diluitur.* — Sed objicies. Peccatum originale in nobis est simile peccato habituali, quod in Adamo permansit transacto actu, quod indicat Tridentinum, sess. 5, cum dicit originale peccatum esse unum in suo principio; sed illud habituale non consistebat in sola privatione, sed in deordinata conversione ad creaturas; ergo. Respondeo in Adamo transacto actu nihil mansisse quod vere et physice in illo fuerit, sed solam privationem, quatenus voluntaria ex ordine ad actum præcedentem: aliquid enim mansit secundum moralem existimationem, et hujusmodi fuit conversio ad creaturas, et malitia ejus; peccatum ergo originale in nobis est simile peccato Adæ secundum priorem rationem, non secundum posteriorem, quia illa conversio, quatenus ex objecto continebat par-

ticularem malitiam, erat personalis, et ideo tota poena sensus illi respondens soli Adamo erat debita; aversio autem a Deo, erat ab illo, vel in illo, ut a capite, quia nos solum censuramur contineri in illo, in his, quæ ad Deum pertinebant, imo tantum in ordine ad dona superaddita naturæ, vel privationem eorum quæ omnia magis ex sequentibus patebunt. Dices: nam parvulus manet aversus a Deo; ergo habet aliquam conversionem contrariam. Respondeo negando consequentiam, nam id non sequitur in peccato actuali, non in habituali, et præcipue originali, quod non fit per proprium actum. Sed jam supersunt duo explicanda. Primum, qua re privet istud peccatum? Secundo, quomodo illi privationi conveniat ratio peccati? primum variis modis explicatur a theologis, quia tamen arbitror omnes in re convenire.

*Cujus formæ peccatum originale sit privatio.*

18. *Sexta propositio.* — Sit sexta propositio. Peccatum originale per se est habitualis aversio a Deo fine supernaturali, unde privat justitia, seu, quod idem est, charitate et gratia, quatenus hominem convertunt ad ultimum finem supernaturalem, scilicet Deum. Est communis theologorum: et probatur primo, quia originale peccatum essentialiter est illa privatio, quæ in Baptismo primo, et per se aufertur. Quæ regula ad cognoscendum originale peccatum colligitur ex Concilio Milevitano, canone 2, dicente, peccatum originale esse id quod debet in Baptismo mundari: et Tridentino, dicente Baptismo tolli id quod necessario peccati rationem habet: sed nulla alia privatio aufertur per Baptismum per se primo nisi privatio gratiæ et charitatis, et consequenter etiam tollitur privatio aliarum virtutum, quæ Baptismum consequuntur; ergo, etc. Secundo, peccatum originale est privatio alicujus perfectionis in homine inhærentis, et non naturalis, quia naturalia manent integra post peccatum; ergo supernaturalis; ergo illius doni et perfectionis quæ mentem hominis ad Deum ultimum finem convertit, quia peccatum, ut sic, aversionem dicit ab ultimo fine. Tertio, originale peccatum formaliter et per se est mors animæ, juxta Tridentinum supra, et Arausicanum, cap. 2, sed mors animæ est carentia gratiæ et charitatis, in quibus vita ejus consistit. Quarto, peccatum originale in nobis est simile peccato habituali, quod in Adamo mansit: sed illud consistebat in privatione gratiæ; ergo.

19. *Unum corollarium ex dictis.* — Ex hac conclusione intelligitur primo quo sensu dixerit Anselmus, lib. de Peccato originali, originale peccatum esse privationem originalis justitiæ, quem secuti sunt Thomistæ 1, 2, q. 81, art. 5, ad 2, et 82, art. 2, 3 et 4, Bonaventura, Scotus et alii, d. 30 et 31, Alensis, 2 part., quæst. 122, qui sub justitia originali gratiam sanctificantem comprehendunt, ut D. Thomas, 1 part., quæst. 95 et 100, notavit, et clarius in 2, dist. 32, quæst. 1, dicit justitiam originalem non differre a gratia gratum faciente quoad illum effectum, cui contrarium est originale peccatum. Et eodem sensu sumendum est quod dicit, quæst. 4, de Malo, art. 1, ad 11, ubi indicat peccatum originale esse justitiæ indignitatem, Scotus supra, clarius dicit hoc peccatum esse privationem gratiæ quæ debebat inesse. Quocirca intelligendum est primum effectum originalis justitiæ fuisse subdere animam Deo, id est, illam convertere ad supernaturalem finem, postquam habebat alios, ut rationem inferiorem subjiceret superiori, et appetitum sensitivum voluntati, et corpus animæ; non est ergo intelligendum peccatum originale dicere privationem justitiæ, ut omnes hos effectus causabat, alias hoc peccatum non plene deleteretur in Baptismo, neque ipsi Adamo fuisset unquam omnino remissum. Solum ergo privatio justitiæ quantum ad primum effectum, qui est quasi primarius et essentialis, pertinet ad essentiam originalis peccati: et magis utuntur doctores nomine justitiæ, quam gratiæ, quia in sua origine homo illam habere deberet: privatio autem reliquorum effectuum pertinet quidem ad rationem pœnæ, non ad essentiam culpæ: cujus ratio est, quia solus ille primus effectus est per se necessarius, ut homo sit vere et simpliciter conversus ad suum ultimum finem, et amicitiam ejus conservet, et beatitudinem consequatur: alii vero non erant hujusmodi, sed veluti proprietates pertinentes ad ornamentum illius status. Vide Sotum, lib. primo, de Natura et Gratia, cap. quarto et quinto; et quæ diximus in Opere sex dierum.

20. *Alterum corollarium.* — Secundo, infero sine causa Cajetanum, Canariensem, Sotum et alios laborare, et inter se disceptare, dum quidam eorum negant originale peccatum esse privationem justitiæ, vel gratiæ: cum tamen concedant esse privationem subjectionis ad Deum, quam efficiebat justitia. Alii dicunt unum esse primarium, alium esse secundarium. Alii neutrum istorum esse, sed aversionem a

Deo. Verum hæc omnia solum sunt distincta verba, unde non sibi constant dum unum concedunt, et aliud negant, quia idem est privari forma, et privari effectu formali formæ, unde idem est privari justitia et subjectione ad Deum. Similiter aversio nihil aliud est quam privatio conversionis: conversio autem et subjectio ad Deum idem sunt, quæ omnia etiam satis patent ex positiva forma, qua omnia ista tolluntur.

21. *Ultimum corollarium.* — Tertio, infero peccatum originale in essentia sua non includere aversionem a Deo fine ultimo naturæ, sed solum ut est finis ultimus gratiæ. Quod patet ex dictis, quia peccatum hoc non privat aliquam perfectionem naturali: conversio autem ad Deum ut finem naturæ, naturalis est. Confirmatur, quia parvuli qui decesserunt in solo peccato originali, sine dubio diligunt Deum super omnia, ut finem naturæ: habent ergo illum pro ultimo fine. Propter quod aliqui probabiliter putant fore beatitudinem naturali, de quo infra, sectione secta, propositione tertia, non nihil fortasse dicam, neque est inconveniens eundem hominem esse aversum a Deo fine supernaturali, et conversum ad eundem, ut est finis naturæ, quod Cajetanus 1, quæst. 109, late disputat, art. 3, dicemusque inferius.

22. *Objectio.* — *Resolvitur.* — Sed objicies. Adamus post peccatum mansit aversus a Deo fine naturæ, et a Deo fine gratiæ; ergo similiter posterius. Confirmatur: nam justitia originalis etiam convertebat hominem ad Deum finem naturæ. Ad primam partem nego consequentiam, quia Adamus proprio actu se se convertit ad creaturam, et contra ipsam etiam naturalem rationem et legem peccavit: sed hoc, ut particularis persona, quia nos solum censebamur contineri in illo ordine ad supernaturalem legem. Ad confirmationem negatur assumptum: nam justitia originalis supposebat eam perfectionem, quæ omnino naturalis est, et quæ esset in homine in puris naturalibus, qualis est conversio ad Deum finem naturæ; justitia vero juvabat ad conservandam et tuendam talem conversionem.

*Quomodo explicata privatio rationem peccati habeat.*

23. Jam sequitur inquirendum quomodo hæc privatio veram habet rationem peccati, Parisiensis, libro de Vitiis et concupiscentiis, negare videtur hoc esse vere et proprie peccatum, et eodem modo loquitur Ruardus, art. secundo, contra Lutherum, et Durandus 2,

dist. 30, quæst. 2, qui in tertia dicit esse reatum pœnæ: quomodo loquitur D. Augustinus, contra Julianum, cap. 3, et 1 Retractationum, cap. 15, sit tamen.

24. *Septima propositio bipartita.* — Septima propositio. Privatio hæc est vere et proprie peccatum, quatenus est voluntaria aversio a Deo fine supernaturali, et legi ejus eo modo contraria, quo sunt reliqua actualia peccata. Prima pars conclusionis videtur de fide, ex his, quæ in prima sectione dicta sunt, ubi etiam ostendimus sacras Litteras de hoc peccato loquentes proprie esse intelligendas: nam si improprie exponantur, solum concludetur in nobis esse penam peccati, cum tamen Tridentinum, supra tolli docet per Baptismum id quod proprie et vere peccatum est. Confirmatur, quia nihil est mors animæ, nec constituit hominem inimicum Deo, et odio dignum, nisi verum peccatum, et hæc est etiam sententia Augustini, lib. 2, de peccatorum Meritis, c. 34, et 3, contra Julianum, sæpe: quare in aliis locis loquitur large explicando rem per effectum.

25. *Premissum pro suadenda altera parte.* — Ut autem exponamus secundam partem conclusionis, supponendum est quod in opere sex dierum, lib. 3, c. ult., latius tradimus, Deum in prima hominis creatione, postquam instituerat primum hominem rectum, et constitueret illum caput totius posteritatis suæ, a quo voluit vitam spiritualem et mortem ejus posteritatis pendere: unde intelligendum est ita pepigisse cum illo, si hanc quam præcipio legem fideliter custodieris justitiam et gratiam meam, et tibi, et omnibus tuis posteris conservabis; si vero pactum meum irritum feceris omnes mihi reddes inimicos. Quem modum pactionis Soto, 1, de Natura et Gratia, c. 10, et quidam alii irridunt tanquam non necessarium ad rem hanc explicandam. Tamen Pighius et Catherinus, supra, illum admittunt, et antea Scotus, dist. 31, et melius Augustinus, 16, de Civitate, cap. 27, sic exponens verba illa Genes. 17: *Pactum meum irritum fecit*, ut supra vidimus, et Hieronymus, Osæ 6, ut supra etiam attulimus: esse autem conveniens tale pactum, ut peccatum Adæ ad omnes ejus posteros pertineat, neque esse satis illum fuisse primum principium, et quasi naturalem stirpem posteritatis suæ, liquet, quoniam alias omnia peccata parentum pertinerent et transfunderentur ad filios, et omnia reliqua peccata Adæ ad nos ipsos; ergo communicatio originalis peccati non fundatur in sola natura, aut naturali lege; ergo in positiva a Deo lata, et in peculiari modo, et

ratione imponendi: quod totum vocamus pactum juxta usitatum phrasim Scripturæ; et quia ex utraque parte continebat æqualitatem, ac veluti mutuum obligationem, ideo factum est, ut ex solius Adami inobedientia omnium filiorum quos naturaliter procreavit inimicitia vel amicitia erga Deum penderet: et hoc est voluntatem Adæ moraliter coram Deo reputatam fuisse totius naturæ voluntatem, cum dicimus, *omnes in eo peccare*, Rom. 5, vel in paradiso transgressos fuisse pactum ejus, Osæ 6. Sic etiam Augustinus 1, de Baptismo parvulorum, cap. 10: *Omnes peccaverunt, quia omnes unus homo fuerunt*: et Basilius, homilia de jejunio: *Omnes cecidimus, quia omnes in primo parente non jejunavimus*, et Fulgentius, libro de Incarnatione: *Omnes testamentum Dei transgressi fuimus, transgrediente primo parente*, et Origenes ad Romanos 6: *Adamo stante stetimus, et eo declinante a via recta omnes declinavimus*. Fortasse tamen necessarium non fuit Deum totum hoc pactum, et negotium revelare Adæ, quia ipsius expectans consensum; sola enim Dei voluntas sufficiebat, ut ex dicendis magis patebit: non est tamen improbabile Adamum explicite cognovisse totam voluntatem et pactum divinum, ut ei omne bonum et malum quod in ejus actu esset, cognoscere posset, ac magis proprie censeri voluntarie obedire vel repugnare, non ut particularis persona tantum, sed ut caput, ut in hoc sensu intellexerit illa verba, *in quacumque die comederis, morte morieris*.

26. *Primum consecrarium pro secunda parte assertionis.* — Ex quibus facile intelligitur primo carentiam justitiæ et gratiæ, in qua nunc nascimur, proprie habere rationem privationis mortalis, quia subjectum proxime aptum erat illam habere, et ex lege divina habere illam deberet, et in suo capite jam illam habuit, et per idem caput se illa privavit.

27. *Secundum consecrarium.* — Secundo constat quomodo peccatum hoc possit dici contra legem naturæ, quia scilicet omnino est contra illud præceptum quod tota natura humana recepit in suo primo parente, nam licet præceptum proxime obliget ad actum, et ad obediendum Deo, etiam ex consequenti obligat ad retinendam divinam amicitiam et habendum Deum pro ultimo fine. Adde præterea non oportere ut peccatum, quod est per modum habitus immediate, et per se sit contra legem, sed satis est esse contractum per voluntariam præcepti transgressionem, de quo vide Augustinum 16, de Civit., cap. 27.